

& statu diuini utrobique iudicij. Si non meminerim me esse qui merui, quomodo gloriam deo dicam? quomodo canam illi nouum canticum, nesciens me esse qui gratiam debeam? Cur autem solius carnis demutatio excipitur non & animæ simul quæ in omnibus præfuit carni: quale est? eadē anima quæ in hac carne totum uitæ ordinem decucurrit, quæ in hac carne deū didicit, & CHRISTVM induit, & spem salutis seminavit: in alia nescio quæmet at fructum? Næ illa gratiosissima caro, cui gratis uita constabit. Quod si non et anima mutabitur, iam nec animæ resurrectio est: nec ipsa enim resurrexisse credetur, si non alia resurrexerit. Hinc iam illa uulgaris incredulitatis argutia est: si, inquiunt, ipsa eademque substantia reuocatur cum sua forma, linea, qualitate: ergo et cum insignibus suis reliquis: Itaque et cæci et claudi, et paralytici: et ut quis in signis excesserit, ita et reuertetur. Quid nunc? et si ita dedignaris tantam gratiam qualiscunque à deo consequi. Non enim et nunc animæ solius admittēs salutem, dimidiatis hominibus eadem adscribis. Quid est credere resurrectionem, nisi integram credere? Si enim caro de dissolutione reparabitur, multo magis de uexatione reuocabitur. MINORIBVS maiora præscribunt. Cuiuscumque membri detructio, uel obtusio, nonne mors membri est? si uniuersalis mors resurrectione rescinditur, quid portionalis? Si demutamur in gloriam, quanto magis in incolumitatem? Vitiatio corporum accidēs res est: integritas propria est. In hac nascimur. Etiam si in utero uexemur, iam hominis est passio. Prius est genus, quam casus. Quomodo uita confertur à deo, ita et refertur. Quales eā accipimus, tales et recipimus. Naturæ, non iniuriæ reddimur: quod nascimur, non quod lædimur, reuiuiscimus. Si non integros deus suscitatur, non suscitatur mortuos. Quis enim mortuus integer, et si integer, moritur. Quis incolumis, qui exanimis? quod corpus inlæsum, cum interemptum, cum frigidum, cum expallidum, cum edurum, cum cadauer? quādo magis homo debilis, nisi cum totus? quando magis paralyticus, nisi cum immobilis? ita nihil aliud est mortuum resuscitari, quam integrum fieri: ne ex ea parte mortuus adhuc sit, ex qua non resurrexerit. Idoneus deus reficere quod fecit. Hanc suam & potestatem & liberalitatem satis iam in CHRISTO sponndit, imò & ostendit: non tantum resuscitatorem carnis, uerum etiam redintegratorem. Atque adeo & Apostolus: Et mortui, inquit, resurgent incorrupti. Quomodo nisi integri, qui retro corrupti? tam uitio uoletudinis quam & senio sepulturæ. Nam & supra utrunque proponens, oportere, et corruptiuum istud induere incorruptelam, & mortale istud immortalitatem: non iterauit sententiam, sed differentiam demandauit. Immortalitatem enim ad rescissionem mortis, incorruptelam ad obliuionem corruptelæ diuidendo: alteram ad resurrectionem, alteram ad redintegrationem temperauit. Puto autem & Thessalonicensibus omnis substantiæ integritatem repromisit. Itaque nec in posterum timebuntur